

inde hostis, quatuor millia passuum a Gradiscanis castris inter Medeæ montem & Cremonem confedit. Postridie vero sub lucem præter Mansanum, per apertas valles, ad radices montium convertit agmen. Triginta barbarorum millia fuisse traduntur, qui per abrupta & confragosa montium loca, vel ipsis Alpium incolis aditu difficillima in Germaniam evasere. Multa sane, & horrenda facinora, & quæ vix sibi fidem vendicent, in superanda Alpium asperitate edidere: quorum illud silentio indignum mihi videtur, quod non uno loco, ubi ad rupes & asperos montium anfractus pervenere, equos restibus alligatos in subjectas crepidines demissos accepimus, atque deinde in alias, donec in profundissimas valles sit ventum. Interdum universus equitatus, vel certe major illius pars (quod ex ipsis vestigiis postea intelligi potuit) per adeo ardua loca præceps datus est, ut per ducentos ferme passus non modo locis illis quisquam pedibus vadere possit, sed ne consistere quidem, nisi virgulto se aliquo applicuerit. Quid, quod ubi per juga Alpium usque in montanæ Carniæ fines decurrere, nunciatumque interim esset, ab Alpium incolis juga montis, qui *Lanceæ* dicitur, qua unicum eis iter in Germaniam patebat, infessa, intrepide ad locum progressi, neque montis altitudine, qui in immensum assurgit, neque ascensus arduitate deterriti, sed scutis subnixi per adversam rupem ad hostem repere, potius quam subiere. Quo audaci incæpto territi illi qui præsidio erant, trepidare cœperunt: inde in fugam turpiter dilapsi ingentis cladis inferendæ barbaro materiam præbuerunt. Et hæc ultima Turcorum in Italiam adversus Venetos expeditio. Ubi dum hæc geruntur, Mahomethus interim Scodram bellicis operibus oppugnare perseverabat: tenuitque oppugnatio illa usque fere ad Septembres nonas; quibus diebus Asiaticæ oræ præfectus Drivastum tormentis concussum recepit, unde quingentos oppidanos adductos, in Scodrensi conspectu ferro confici mandavit. Atque inde quatrinduo post Othomanus sedendo fessus, cum præcipua copiarum parte abiit. Eodem die quo Scodra profectus

*Barbarorum
in superan-
dis alpi-
bus
solertia.*